

6
972 May
D. O. M. A.
DISPUTATIO
DE SUBIECTO
PHYSICES.

Quam
AUTORITATE
Amplissimi Facultatis Philosophicæ Collegij
In inclusa Noribergensium Academiâ

P R E S I D E
M. JOACHIMO CNAPE BRAN-
deburgense Marchico, SS. Theo-
logiæ Studioso.

Dnn. Collegis suis
Ventilandam & examinandam subjicit
JOHANNES HOFMANNUS
Neagorensis Archipalas.

Ad diem Septemb. horis pro more.



ALTDORPHI,

& Typographia Balthasaris Scherffii,
Universitatis Typographi.

ANNO CLO IO CXXV.

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo
DN. JOANNI TOBIÆ Grünewaldt/
Inclutæ ac Liberæ Imperialis Reipub.
RATISPO NENSIS Senatori & Curiæ
tutelaris Directori,

Dn. Patrono ac Mecœnati suo gratioſo,
devotè perpetimq; colendo, amando.

N E C N O N

Admodum Reverendis, Clarissimis, doctriñā exquisitā
omnigenaꝝ virtutum laudē Eminentissimis

V I R I S

D. M. SEBASTIANO HEMMINGERO,
D. M. JOHANNI MUNDERLINO,
apud Ratisponenses Pastoribus vigilantissimis,

His

Perpetuo obſervantiae cultu
prosequendis,

Exercitium hoc Physicum in debiti amoris σύμβολον,
gratianimi παρηγένον, perpetui hono-
ris μνημόσουνον,

Dicat & Offert

JOHANNES HOFMANNUS, NEAG.
Archipalas Respondens'.

DISPUTATIO
DE SUBJECTO SCIEN-
TIÆ NATURALIS.

RESPOND.

JOHAN. HOFMANNO.

THESES I.

 Uandoquidem est nō eminētū nō eminētū atq; hoc est, scientia scibilia quodammodo est, quippe rūvenit eis nō p̄cāynta, ut loquitur Philosóphus 3. de anima, textu 37. & 38. &c. Constitutionem scientiæ nisi ex subiecto, estimandam non esse, persuademur.

II. Adducti autoritate Platonis, in Cratilo, ubi docet, unicuiq; rei nomina imponi, spectatâ prius cuiusq; naturâ, quæ ex objecto potissimum pender, referente Suarezio Disput. 1. de nat. Metaphys. lit. C.

III. Subiectum igitur Physices primum omnium inquirendum nobis etiâ est, quo cognito abundè cuivis erit intelligere, quomodo hæc ab alijs scientijs differat, quæ ve ejus utilitas, necessitas, dignitas & alia quæ procemij loco ab alijs pertractari consueverunt. Nam cuiusq; scientiæ differentia à proprio subiecto sumitur, idq; cuiusvis scientiæ naturam constituit, separatq; ab alijs omnibus, ut ait Zabarella lib. de naturalis scientia constit. cap. 2. lit. C.

IV. Quanquam verò magnum ad perspicuitatem adjumentum habet meditatum & in promptu habere, quot quidque modis dicatur top. 1. cap. 14. Ne tamen

Contra *Subiectum*

aestum agere, aut eximustaceo laureolam querere vide-
amur, hoc labore meritò supersedemus, eos, qui am-
biguitatem, quæ in voce **S U B I E C T I** occurtere solet,
ignorant, remittentes ad Zabarell. dicto loc. & Piccol. in
introductione ad scientiam de naturâ cap. 23.

V. Sufficiat hoc loco nos intelligere subjectum il-
lud, non quidem quale disciplinæ practicæ habent, in
quod formam accidentalem inducunt, & quâ ratione
homo subjectum discipline moralis (malè à Piccol. sum-
mum bonum) sicut & medicinæ, constituitur, civitas
verò Politices; sed quod est ens per se, & à naturâ pro-
ductum, 2. post. cap. ult. Deinde quod præcognitum
tum quid nomen significet, tum quod res sit, quodq;
habet suas, quæ de eo demonstrari possunt, affectio-
nes, & est adæquatum.

VI. Hoc est ut paucis nos expediamus, quod à
principijs & affectionibus suis distinguitur, quale ens
quatenus ens sive quod idem est Deus in Philosophia
prima esse rectè asseritur, cum primum analogatum,
secundum tralatitium illud, stet pro omnibus.

VI. Neq; est, cur quis in principio statim nobis re-
moram injiciat, ac si subjectum alicujus disciplinæ præ-
cognitum esse deberet, id quod fortè ipsi videmur
astruxisse paulò antè; Extra oleas igitur evagari nos
rem præcognitam & tanquam hypothesin præponen-
dam probaturos.

VIII. Quippè praxis Aristotelis aliorumq; Philo-
sophorum, quominus huic sententiæ calculum adjici-
amus, est invitamento: Sanè in metaph. subjectum
primarium (id quod extra controversiæ aleam pos-
sum) est Deus Opt. Max. utpote primum & nobilissi-
mum omnium entium, à quo reliqua omnia depen-
dent,

dent, quodque, utpote primum analogatum stat pro omnibus; attamen lib. 12. longâ disp. Deum esse Philoponus ostendit.

I X. Quid quod artes, quando finis ignotus est, aut dubi⁹, illum probare non tergiversantur, quidni igitur in scientijs ratione subjecti, idem fieri debeat, cum, quę ratio finis in artibus, ea sit, ut inquit Galenus, subjecti in scientijs. Unde in Analyticis probat Philosophus dari scientiam, quæ est finis ἀποδείξεως: In Elenchis Sophisticis docet dari Sophisticos elenchos, & dari homines, qui illis, utantur: Ita in disciplina morali probatur beatitudo, uti notum illis qui nondum ære lavantur.

X. Facit huc ipsa Aristotelis authoritas qui ait: Ac in quibusdam scientiis non est vitiosum, horum aliquid prætermittere, veluti si apertum ac manifestum est ipsum subjectum esse, non erit opus ab initio ejus facere mentionem, ut quod ipsum in rerum naturā sit subjiciamus: Addit postea, quasdam scientias precepto suo non obtemperare, quia non sit eadem ratio omnium. Causam subjungit exemplarem de subjectis Scientiarum: εἰ γὰρ ὁμοίως δῆλον, ὅτι ὁ ἀριθμός ἐστι, τὸ γὰρ ἔργον καὶ ψυχὴν cap. 8. 1. Post. text. 25.

XI. In quem locum ita Philopon⁹: ἐπειδὴ εἰπεν, ὅτι τέλος ἐστιν, εἴτε ὁν πάσου ἀποδείξεως, Τὴν πάντων μὲν τὸ τι συμβαίνει ἐκάστου, φήσις αερολαμβάνεσσι ταῦτα τὰ ἀποτελέσματα, Τὴν πάντων τε ποὺ τὸ ὅπι ἐστι, εἴτε πάντα δὲ γάδε τὰ αὐτοῖς μαζε αερολαμβάνεσσιν αἱ ἀποτελέσματα, γάδε τὰ ταπειρόφρον γένεται ταῦτα θέντα τὰς ὅπι.

XII. Hoc est: quoniam tria jam constituit Philosophus, quę absolvunt ἀποδείξην, subjungit porrò, omnes scientias præsupponere de ijs, quid vocabulum significet, nonnullas etiam, quod sint ista, non autem in uni-

versum omnes scientiæ vel axiomata hoc modo assu-
munt, vel etiam subjectum tanquam quod sit.

XIII. Quomodo autem quæ suprà asseruimus
cum hisce cohærent? An si *esse* secundi aut tertij, ut logi-
ci vocant, *adjecti* distinguere possent, hæc non obiace-
rentur? Quandoquidem non quod corpus sit, sed quod
Physices subjectum sit, imus probatum. An, finge,
hanc responsionem non sufficere, habitu si non Physi-
co saltem Philosophico id à nobis fieri affirmabi-
mus?

XIV. Ne quid tamen eos lateat, confundi nolu-
~~mus~~ & ~~modus~~: modum sciendi cum ipsâ scientia,
in qua ponitur subjectum ut hypothesis, in illo, quando
deo non constat, semper est prius aperiendum & pro-
bandum, exemplo tot celeberrimorum philosopho-
rum.

XV. Ut autem in probando hujus scientiæ natu-
ralis subjecto rectè procedamus, quædam ex sublimio-
ri philosophia huc referenda sunt, quibus cognitis non
erit difficile Corinthum appellere, ut dicitur in prover-
bio, modò velum prout ventus in alto est, vera-
mus; id quod faciunt qui ex mente Philosophi nostri
pergunt.

XVI. Ait ille 4. *Metaph. text. 4.* tot philosophiæ par-
tes sunt, quot substantiæ. Quæ verba incredibile
quantam difficultatem pariant. Quamquam verò ra-
tione etiam idem probari possit: Videlicet quia in
omni scientia affectiones de aliquo subjecto queran-
tur, sola autem substantia subjectum sit cæterorum
omnium entium (non enim est accidentis accidens 4.
Metaph. text. 14. πότερον συμβέβηκός & συμβέβηκότι συμβέβηκός)
merito omnes scientias aliquam substantiam consi-
derare.

XVII. Et

XVII. Et rursus quando ubique propriè primi & ex quo cœtera pendent & propter quod dicuntur, scientia est, 4. Metaph. text. 2. substantia autem hujusmodi est, ut patet ex d. l. atque ejus tria quidem sunt summa genera ut dicitur 13. Metaph. cap. 1. & 6. 2. Phys. 7. text. 71. Rectè pro triplici hac substantia, triplicē philosophiam sive tres Philosophiæ partes constitui. Quemadmodum eruditè hac de re differit Casalpinus quæst. peripat. lib. 1. quæst. 4. lit. F.

XIX. Sunt tamen inventi non pauci, qui hunc locum insignitum adeò corruperunt ut cum Glauco marino quām commodissimè comparari queat: Alexander existimat hæc verba alieno loco posita & proinde conjungenda esse cum verbis illis in fine tex. 2. Quare entis quoq; quot species sunt, & species specierum speculari unius scientiæ genere est: Totq; sunt partes philosophia &c.

XIX. Sic sensus foret, nimirum entis quā ens considerationem pertinere ad scientiam generalem, species verò entis contemplari debere species scientiarum, & alias philosophiæ partes, partes verò tot esse, quot sunt substantię, quę entis naturam augias referant. Velut loquitur Suarez: dici potest, genus entis scibilis, ut sic, pertinere ad genus scientiæ: Varias autem species scibilium ad varias species scientiarum &c. In explic. cap. 2. lib. 4. Metaph. Aristotelica quæst. 4.

XX. D. Thomas & Albertus si Fonsecæ credimus, Averroës item & Scainus per Philosophiam hoc loco primam intelligunt, sive Metaphysicam, quę non raro simpliciter Philosophia nuncupatur, nimirum. 4. Metaph. text. 5. Prima autem 3. de cælo text. 2. 1. de ortu & inter. text. 14. 6. Metaph. text. 7. postquam enim inquiunt, Aristoteles docuisset: Ens immediatè descendere in sua significata.

sicata, cum sit vocabulum ab uno docuit posteā, ad unam scientiam pertinere, de ente agere, & omnibus ijs, de quibus ens dicitur.

X X I. Cumq; scientia talis vocabulorum ab uno tractet primò & prēcipue id, quod est primum in eo genere, substantia verò sit illud primum, ejusq; sint plures species: Hinc Aristoteles (qui est sensus verborum) consequenter dividit scientiam hanc in partes suas pro diversâ substantiarum ratione, quarum una quæ est *prima* versatur in contemplatione substantiæ sensilis, secunda pars circa entia Mathematica, magnitudines videlicet & numeros, quæ omnia apud veteres substantiarum nomine veniebant: Tertia verò atq; postrema pars hujus scientiæ de substantia immobili & ab omni materia separata agit, à qua omnes scientiæ dependent, & ad quam demum reducuntur. *Hactenus averroës.*

X X II. *Scainus* clariūs paulò se explicat, qui Metaphysicam in tres partes dividens, primæ parti assignat tractationem de substantia sensibili, tam caducâ quam æternâ, eamq; absolvit lib. 7. 8. & 9. Alteri parti substantiam immobilem & æternam, h.e. magnitudines mathematicas numeros, & ideas; de his absolvit lib. 10. 13. 14. Quo circa etiam ordinem librorum mutat, ut postremo loco sint lib. 11. & 12. qui agant de verè immobili & penitus immateriali substantia.

X X III. Felix Accorombonius ut sententiam hanc magis confirmet notat: *Quod si Aristoteles voluit non Metaphysices constituere partes, sed totius philosophiæ, mentio omnino facienda ipsi fuisse mathematicarum disciplinarum, aut certæ astrologiæ, ita enim dividit philosophiam generaliter acceptam.* *6. Metaph. c. 1. & rursus 12. text. 44.* *Ubi Astrologiam vocat peculiariissi-*

liarissimam inter mathematicas disciplinas Philosophiam, quia sola illa substantiam consideret.

XXIV. Alij hanc sententiam verissimam & verbis Aristotelis maximè accommodatam ideò arbitrantur, quod Philosophus hâc partitione Mathematicum, imitetur, cujus etiam consideratio triplex sit: Una circa plana, altera circa solida, tertia circa astrologica, id quod ex Alexandro desumserunt.

XXV. Quidam per Philosophiam hoc loco speculativam intelligunt. Verùm ut hi à nobis parùm in hoc dissentient, ita quando philosophiam practicam, dari existimant, non leviter impingunt; Perinde enim est, ac si diceres hominem rationalem aut physicam, speculativam, & ex eo colligeres dari hominem irrationalē aut physicam practicam. Noctis meridies!

XXVI. Cui autem parti suffragari debemus? An non omnes mentem Aristotelis rectè asecuti? Patebit id quidem posteà. Nunc nostram aperiemus; ita tamen ne meliora docenti obtemperatur ~~παλυοδιας~~ canere ~~παλυοδιας~~

XXVII. Ut commodius id fiat, reperenda sunt præcedentia: Constituerat 1. cap. Philosophus subiectum metaphysices esse ens quatenus ens, probaveratque illud tribus rationibus. 1. quia nulla alia scientia id consideret, sed omnes entis partem. 2. quia Metaphysica versetur circa primas causas & prima principia, hæc autem sint entis quatenus ens. 3. Authoritate antiquorum &c.

XXVIII. Textu 2. docet, quomodo entis ut ens possit esse una scientia, idq; ut faciat, ait, non esse univocum neq; æquivocum sed ab uno, ut sanum & medicinale, ut autem horum, ita & entis ut ens, esse unam

Scientiam, ubique autem primi nec tantum primi, sed etiam unius scientiae genere esse, contemplari ipsum ens, ejusque species & specierum species, hoc est, affectiones.

X X I X. Inspergit jam *Textu 3.* velut in parenthesi unam speciem sive affectionem entis, videlicet **U N U M :** doceretq; hanc esse idem cum ente & reciprocari ut principium & causa, unde & species specierum hoc est affectiones **U N I U S** elicit, v. g. idem, æquale, simile &c. Hęc inquam in parenthesi.

X X X. *Textu 4.* rediens ad propositum oceurrit opinio, quæ in textu secundo insinuatur, potestq; ita informari: Si, ut diximus metaphysica considerat ens quatenus ens, vel substantiam ad quam omnia dicuntur ut ad sanum, ergo non est una scientia, sed plures particulares, vel est una & sola scientia & præter eam nulla alia. Respondet fore ut Metaphysica sit plures scientiæ, si 1. una esset substantia ad quam omnia dicentur ut ad sanum, & 2. ista scientia omnia distinctè & separatim excuteret, & 3. diceretur universalis. Fore autem ut sit sola scientia, si plures essent substantiæ, quæ in unâ communi ratione convenienter: Cùm autem nec una sit, nec plures ita se habentes, infert: *tot esse philosophiae universa partes, quot sunt substantiae.*

X X X I. Ita textus optimè cohœret, sed & confirmari ulterius potest. Occupatio quidem *ex textu 2.* Responsio *ex text. 4.* ait ibi: quare necesse est, ut aliqua earum (intelligescientiarum) prima sit & alia sequens. Reddit rationem, quia ens & unum, h. e. substantiæ sunt genera ēvīs subindē sive ēvīs deinceps se habentia, quamobrem ipse quoq; scientiæ se habent, intellige, ut nulla sit communis & cōterē ejus partes, sed omnes partia.

partiales: una prima, reliquæ deinceps. Quid sodes
clarior?

XXXII. Huc referri possunt rationes nostræ, qua-
rum supra mentionem fecimus, aliæque, quæ legi pos-
sunt apud Casalpinum loco citato. Ex dictis colligimus, tot
esse Philosophiæ partes quot substantiæ, tres autem
esse substantias, primam immobilem, alteram mobi-
lem & incorruptibilem, postremam mobilem & cor-
ruptibilem. Totidemq; esse partes Philosophiæ: The-
ologiam, Astrologiam & Physicam. Sic quoque,
quandoquidem subjectum duabus partibus constat,
Physici subjecti fundamentum haberemus, videlicet
substantiam.

XXXIII. Antequam ulterius pergamus, objecta
quædam hic removenda sunt, quæ in tramitibus eun-
tem retinere solent, ut verba Varronis nostra facia-
mus, & difficultates quædam, quas suprà attingimus hîc
expedienda.

XXXIV. Sententiam Alexandri quod attiner,
thes. 1. de coherentia verborum textus 4 cum secundo,
dicimus eam esse veritati maximè consentaneam.
Quod verò cum Suarezio per species specierum intel-
ligit scientiarum species, id approbare non possumus
(quanquam sic nostra fortè sententia magis confirma-
retur) quippe 1. dari ratio non potest propter quam
Textu 3. de UNO egerit: datur autem si per species,
affectiones Entis intellexisse dicatur, cum alioqui spe-
cies Entis attulisse deberet.

XXXV. Deinde Ens ut Ens nullas habet species,
quia non est verum genus, quod si verum genus esset,
differentiæ Entis non essent Entia, cùm differentiæ
non debeat participare genus'. 2. *Metaph. tex. 42. II.*

Metaph. cap. 1. Vel ut loquitur contrà se ipsum Suarez citans locum Aristotelis 3. *Metaph. text. 10.* Et probaturus ens non esse univocum ait: Genus est extra rationem differentiæ: Ens autem esse non potest extra rationem alicujus'. *Tom. 2. Disp. 32. sect. 2. num. 5. lit. D.* Quod si hoc, Ens igitur quæ Ens veras species non habet, unde nisi affectiones per species intelligi non possunt.

XXXVI. Sensus verò verborum est, ut omnium optimè explicat acutissimus Cæsalpinus: Unius scientiæ esse, considerare species, hoc est, Entis affectiones, ut unum, multa, idem & diversum, & species specierum hoc est affectiones harum affectionum.. Verbi gratia, differentiam contrarietatem, æquale inæquale, & alia hujusmodi quæ entis, ut ens est, naturam inse-quentur. *lib. 1. quæst. peripatet. quæst. 3. pag 9. lit. B. confer thes. 29.*

XXXVII. Ad Thome, Alberti, & Averroës & Scaini sententiam respondet Fonseca, eam admitti non posse, quia vim afferat ipsi veritati, quandò sensilem substantiam primam facit, cum pluribus locis Aristotelis constet, non sensilem substantiam primam esse, sed separatam ab omni materiâ. *vide 6. Metaph. cap. 1. tex. 3. εἰ δὲ μή ἐσι τις ἔτερη θεία πρᾶγμα φύσις συνεγενέας, η φησικὴ αἱ εἴη πεποιηθεῖσημενη.*

XXXVIII. Verum enim verò excipi potest: Primam partem Metaphysicæ, quæ thes. 21. dicta est versari circa substantiam sensilem, dici primam in tractatione sive ordine cognitionis nostræ, ut potè per cuius cognitionem ad substantiam abstractam, tanquam ad principium per principiatum perducimur, posse interea ratione subsistentię sive ratione *Τετραγ* ultimam esse, ut Averroës d. l. explicat.

Sed

XXXIX. Sed si textum penitus contemplamur, hæc exceptio locum habere non potest, videantur quæ supra thes. 31. diximus, hic tantum addo: Si scientiæ sequuntur Ens in eo quod εὐθὺς sive ut paulò infra dicitur ἐφεξῆς se habent (ita dicitur c. 4.) Ergò per scientiam primam illo in loco ea intelligi non potest, quæ est circa substantiam sensilem, quandoquidem Ens ita sive habet ut primum sit, de substantiâ autem sensibili ἐφεξῆς dicatur. Non dicam quod Averroës sibi ipsi contradicat, ut paulò post audiemus.

X L. Insuper urget Fonseca nomen, scientiæ, id quod etiam suprà annotavimus thes. 31. partes illas mox vocari scientias, de scientijs igitur particularibus verba Philosophi intelligenda esse: Quanquam autem verissimè hæc dicantur, Excipiunt tamen quidam: dici posse. 1. Πρᾶγματις vocabulum non in suâ & propriâ significatione hic accipi, sed in latâ pro quâvis οντὶς sive consideratione, idq; Philosopho non esse novum aut infrequens. 2. Deinde, partes sequi totum, undè cum Philosophia ipsa sit constituta scientia, singulas ejus partes, siquidem eodem modo tractentur, rectè etiam Scientias appellari.

X L I. Sed quid hoc aliud est, quam præter necessitatem à verborum proprietate discedere, & sub invocatione vocabuli unius aut alterius latitare, Concluserat Philosophus text. 2. Philosophiam primam non esse plures particulares scientias, quomodo sibi suprà text. 4. siquidem partes Metaphysices scientias vociteret, non contradiceret, aut quomodo, ut una multa jura coquus, non diceretur confusisse?

X L II. Addimus, quod si hæc particio Philosophie prime admitteteretur, non statueretur unum subjectum,

sed tria, quæ sub communione non convenirent, substantia enim non est commune unicum, sed ab uno, neque partienda est scientia per ea, quæ primario scopo non considerantur. Reperi etiam volo *thes. 17.*
& ex eâ locum *2. Phys. text. 71.* Ubi tria facit negotia disjuncta, (hoc est, tres scientias) hanc quidem circa immobile, illam quidem circa mobile sed incorruptibile, aliam autem circa corruptibilia, &c. *6. Metaph. text. 2. cap. 1.* ait: Quare tres utique erunt speculativæ Philosophiæ, Mathematica, Physica & Theologia.

XLIII. Felicis Accorombonij notam supra *thes.*
23. non adeò felicem imò notham potius aut spuriam existimamus. Curenim sodès ipsi fuisset mentio facienda disciplinarum mathematicarum? An id non fecit? licet fortè, ut idem ait, per Comparationem tantum Philosophiæ. An quia idem alibi fecit? Imò si alibi, ut facetur, hujus divisionis meminerit, quidni extremis labris eam tetigisse, ut potè deinceps plenius pertractandam sufficeret, an crambe eadem toties apponenda? Eadem ratione, quandoquidem nec meminerit librorum, qui de substantia sensibili, Mathematicâ &c. agant, concludi contra ipsos potest, neq; Philosophiam primam hoc loco dividi. Nota igitur hæc Accorombonij non est bona, nec ad rhombum facit.

XLIV. Adeà, quæ ex Alexandro *thes. 24.* citantur Respondet *Fonseca ex Averroë:* Mathematicæ, inquiens, partes sunt diversæ scientiæ, Arithmetica, Geometria, & Astrologia. Ergò hic quoq; partes Philosophiæ sunt diversæ scientiæ & non diversæ partes unus tractationis, quippe Philosophus est sicut Mathematicus. Quæ ratio firmiter concludit contra Averroëm, ex quo hæc verba desumpta sunt, & nihilominus per Philo-

Philosophiam hoc loco intelligit Metaphysicam, sic
igitur sibi contradicit, id quod supra, nos probaturos
promisimus. *thes. 39.*

XLV. Regeris, similitudinem hic non ex Averroë
sed Alexandro explicandam esse, & quidem eo modo,
quo supra dictum *thes. 24.* Petis id quod in principio.
Quin potius dicimus sensum esse: Tot esse philosophie,
vel ut loquitur Themistius, universę philosophandi ratio-
nis, partes quot sunt substantię, & istas partes sive scien-
tias ordinē habere inter se eum, quem habent substan-
tię, in eaq; re Philosophum similem esse mathematico
Nam & Mathematicæ disciplinæ ordinem inter se ha-
bent, ut una sit prima, altera secunda, prior enim est
quę de numeris agit, quam quę de continuā magnitu-
dine: continua enim definitur per discretam, ut sup-
perficies, quę divisibilis est secundum duo, linea secun-
dum unum.

XLVI. His observatis evanescunt quoq; ea, quæ
in explicatione hujus loci movet Piccol. *in Introduct. ad*
scientiam de nat. cap. 10. p. 19. qui potest videri.

XLVII. Constituto sic fundamento subjecti physi-
ci, substantiā scilicet mobili & corruptibili, non est
cur hęreas, etiam si Aristoteles id vocaret interdum sub-
stantiam mobilem & inseparabilem. *6. Metaph. text. 2.*
Nunc sensibilem & corruptibilem, ut *13. Metaph. cap. 1.*
Nunc naturalem & corruptibilem. *13. Metaph. cap. 6.*
Nunc mobilem & corruptibilem. *2. Phys. text 71.*
Alijens mobile, substantiam mobilem, corpus mobile,
differunt enim ut remotius & propinquius.

XLVIII. Si quis tamen adeò delicatus hęc admit-
tere non potest, loco entis & substantię tanquam re-
motioris sumat corpus, i. ceu *πεῶν δειπνὸν*, cui primò
inest

in est natura, alijs autem propter hoc. Deinde loco mobilis (quanquam nihil mobile est, quod non sit naturale, unde recte naturale à non naturali distinguit motu & per principium motus, 2. Phys. c. 7. Text. 71. 2. Phys. text. 1. & ibidem cap. 2. Attamen quia mobile postei- rius naturali, adeoq; per naturale demonstratur, ratio autem formalis subjecti prima debet esse & indemon- strabilis in eo genere) ponat, naturale.

X L I X. Resultat ex dictis, rationem formalem, subjecti Physici esse; naturale quatenus naturale. Cremoninus hic ~~ἀναγοντιζει~~ & loco naturalis ponit mavult, habens naturam, partim quia natura magis contineat ea, quæ sunt subjecti, partim quia affectiones etiam dicantur naturales, quæ tamen in constituendo subjecto ut etiam supra thes. 6. monuimus, includi non debent. Quasi verò naturale non tam significaret, habens natu- ram, quam quod à naturâ habetur. Deinde, quandoquidem subjectum Physices constitutum est corpus naturale, quis affectiones excludi non facile animad- vertat?

L. Vox **Q U A T E N U S**, cum aliquâ difficultare con- juncta est; sanè Comes Mirandulanus Philosophus, ut vocatur, subtilissimi judicij, in hâc cum bono Homero dormitavit, quando per vocem, quatenus, in constitu- tione subjecti Metaphysici intellexit in universum, omne Ens, uti accipitur, quando dicimus, verbi gratia, animal quatenus animal sentit, hoc est, omne animal sentit. Unde existimavit: Metaphysicam esse unam communem & universalem omnis in universum Entis scientiam, secari autem & dividiri in plures non necessi- tatis absolute causâ, sed imbecillitatis humanæ ratio- ne, non enim omnes esse eo ingenio, ut ~~παντολη~~ hanc com-

comprehendere possint, quibus sufficere potest pars aliqua hujus universalis Doctrinæ.

L I. Sciendum igitur est, particulam *quatenus à varijs variè accipi*, interdum ut Scotus vult, *4. Metaph. cap. 1.* reduplicative, tūm quando significat prædicatum convenire subjecto, per propriam suam essentiam, ut homo *quatenus est homo est risibilis*, h. e. per propriam essentiam: Interdum specificativè: tūm, quando non significat causam inhærentiæ prædicti ad subjectum, sed solùm determinat speciem cui aliquid tribuitur, ut homo quā homo est albus h. e. illa species quæ dicitur homo est alba.

L II. Verūm hæc non sufficiunt, quid enim dicendum foret ad locum Aristotelicū qui habetur *de sensu & sensili cap. 4.* ignis non agit quā ignis, ubi tantūm materia reduplicatur, aut si ita vis, natura universalis, quandoquidem actio est singularium. Sic dico Milo quaten⁹ Milo interfecit Clodiū, non quā homo, ubi reciprocatur natura singularis tantūm: Sic homo quaten⁹ homo est rationalis, ubi reciprocatur forma. Interdum reciprocatur, secundum primum susceptivum, ut paries est albus quatenus habet superficiem. Significat interdum etiam situm, & reciprocatur omnem causam; Efficientem etiam & finem. Vide *5. Metaph. tex. 23.* Ubi ab Aristotele hæc abundè satis declarantur.

L III. Cum igitur hæc vox ex earum numero sit, quæ *πλάκως λέγονται*, Illæ autem secundum subjectam materiam intelligenda; breviter hæc habe: aliam esse reduplicationem in vocabulis ab uno, ibi enim nulla communis ratio aut natura, quocircà eam reduplicatio inferre non potest: sed significatur primum à quo cætera dependent, vide *thes. 6. suprà.* In Synonymis au-

sem generibus aut speciebus significatur ratio formalis, essentialis, omnibus communis ex equo, ut patet ex exemplis supra citatis, sic ratio formalis in nostro subiecto reduplicatione effertur, ad differentiam artium quæ versantur quidem circa corpus naturale, sed non quatenus habet motus & quietis principium in se. Deinde propter Metaphysicam, quæ etiam corpus considerat naturale, sed non quatenus naturale, verum quatenus substantia. Est igitur physices subiectum *corpus naturale, quatenus naturale*.

LIV. Diximus Metaphysicum considerare corpus naturale, cœlum autem esse corpus naturale nemo negat, considerabitur igitur idē etiam à Metaphysico, idem à Physico; quomodo autem ab Astrologo, & quomodo hæ scientiæ à se in vicem differunt? Nodus sanè Gordius! An satisfacit Cæsalpinus quando ait? De naturali autem scientiâ quid dicendum? Quomodo ingreditur in Astrologiæ negotium? An & natura similiiter analoga est, ut corpus & substantia? In diversis enim generibus inest, corruptibili scilicet & incorruptibili: Una tamen eorum est scientia, quatenus principium motus in se habent, quæ natura est, quamque Mathematicus omnis à suis considerationib⁹ se Jungit.

LV. Breviter se expedit Clariss. Sonnerus cuiusverba cedro digna hic adscribere operæ precium duxi; Cœlum & corruptibile, quæ unitatem analogam habent, sunt ejusdem scientie: Quæ univocam non habent, sunt diversarum. Et hæc ex mente Peripateticorum de-

Subiecto Physices dixisse
sufficiant.

COROL-

C O R O L L A R I A
ex disputatione resultantia.

I.

Astrologiam esse Certiorem Metaphy-
sicā, Imò non esse i Physicam utrāque
esse Certiorem: non esse.

II.

Practicam, non esse Philosophiam; ma-
lè igitur in Theoricam & practicam dividi.

III.

Actionem esse singularium, accidit enim
Hippocrati esse Hominem, & si hominem
sanare per accidens.

IV.

Ens non prædicari in quid de omnibus
rebus.

V.

Quidicit, Ens homo, vel homo simpli-
citer, idem dicit.

C 2

Ens

VI.

Ens, non univocum neq; æquivocum
esse, sed analogum & ab uno.

VII.

Entis Conceptum objectivum non
dari.

VIII.

Analoga ejusdem scientiæ esse) (non
esse.

IX.

Principium & Causam æquè latè pate-
re. Principium latius patere quàm Causam.
Causam latius patere quàm principium, sin-
gula esse vera, singula esse falsa.

X.

Corruptibile & incorruptibile genere
differre) (non differre.

XI.

Quomodo diximus *thes. 16.* Accidentis
non esse accidens, cum qualitatibus primis
subjic-

subjiciantur secundæ, & Mathematici de
quantitate multa accidentia alia demon-
strent? Quid? An non ipsi diximus *thes. 28.*
& *thes. 35.* dari affectiones affectionum?

XII.

Qui scientias distinguunt secundum
abstractionem, multis modis impingunt.

XIII.

Obiter addo: Homo aut non definien-
dus est animal, accuratè loquendo, aut ani-
mal quoq; per plantam definiendum est.

XIV.

Si à potiori fit denominatio: Anima au-
tem rationalis in homine potior pars est;
Cur homo non dicitur spiritus? An intelle-
ctus, quandoquidem Corpus informat,
non simpliciter spiritus dicendus? Quid au-
tem, si, ut Averroës vult, homini tantùm
assisteret?

Imò, si differentia potissima definitio-
nis pars 7. met. tex. 43. quare definitione
non respondeatur ad quæstionem, qualis sit
res, ad quam alioqui per differentiam re-
spondetur, sed ad quæstionem, quid est?

Ad Ornatis. Dr. Respondentem,
JOHANNEM HOFMANNUM
Nengoranum.

Eγ γλίαν σφαλερή τικίς ἐν ἡβῃ
Νῦν Αὐλανδρέ νόμῳ μημονίων σῷ
τῆς κοινῆς Φύσεως, σκέπαιο ρέζε
ἔνν πέχην Λογικῆν καὶ Ηθικῆν μάθη
σοι πίστευ ἔστατη πόνος. π. μόχθος,
ώσταρ ῥήτορε, Ρωμαϊκῷ ἐση σὺ
ἐθλὸς τῆς Σοφίας Φίλος ὁ αἰγίσης.

Σπυρᾶς μετέπειτα ἐσω αἰεν
νῷτι ἐν κράμασι γνώσεως τῷ ἔργῳ
νημαὶ τῆς ιερῆς γεαφῆς ιανῶν,
ὑψίσιν κορυφερῶς σέβε θεόπε,
πόνη καὶ σεμνοπεπτῶς Βίον τῷ ἔλκε,
γημερτές μὲν ἀνὴρ σοφὸς γενήση,
δεκτὸς παρεσταλεῖ, Φίλος Θροτοῖς τε

Ita vovē.

M. CHRISTOPH. CRINESIUS,
Diaconus & S. Theol. Prof.
Publicus.

Ornatis-

Ornatissimo Dn. Respondenti,
JOHANNI HOFMANNO
affini & commensali meo suariss.

Primus es in Physicis, res non caret omne, turmis?
Intrepida intrepidu sit Ducis ense cohors:
Macte HOFMANN virtute tuâ, tremor hostibus esto,
Ut vigeas docti docta propago patris.

benevolentia causa
accinebam

Johannes Fridericus Worsterus
N. AP.

A L I U D.

Sic tibi Castalides Physicam per maxima rerum
Abdita nunc pandent, si benè pensiculas.
Sed tua sedulitas præstò sit tempore cuncto
Præmia Musarum tu modo percipies.

PriCærxws
depangebat.

Jonas Schrimpfius
Leucoph. Pannoniae
superioris.

F I N I S.

Rey wog P. a Domini. O
O Y W K M A T H Y L Y S H C R

Tunc ergo obsequio papa. **M**onachus enim deo:
tum est. **N**obis vero anima virtute tamen etiam
deo: **A**nno. **V**III. **M**ay. **D**omi: **U**niuersitate
Tunc ergo obsequio papa. **M**onachus enim deo:
tum est. **N**obis vero anima virtute tamen etiam
deo: **A**nno. **V**III. **M**ay. **D**omi: **U**niuersitate

anno regni VII encirchit et ornatus
905. f.

AIIJA

lonus Schimperius
Telescope. Panothen
luminescere.

ЗИГІ